

Res humanas ordine nullo.  
Fortuna regit, spargitque manu  
Munera caeca, peiora fovens.

Plin.

Nihilominus tamen, ut Plinius exclamat lib. 2. c. 7. *roto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus sola Fortuna invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitur, sola laudatur, sola arguitur.* Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, adeoque obnoxia sumus sortis, ut fors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.

Fortunas fortunans Deipara.

74 Quorsum haec? Nempe, licet à Christiano ore rejiciendum sit fortunae nomen juxta sensum, caecae Genitricis, Deus tamen ipse sicut est natura naturans, ut nonnulli loquuntur Philosophi, sic etiam fortuna fortunans potest appellari, id est, auctor omnis fortunae, qui speciali providentiâ singulis sua, prout vult, dispensat, hunc fortunatum faciens, illum infortunatum, ad quod causas secundas stetit, & contemperat. De quo Augustinus q. 91. in Genes. & lib. 5. de Civit. Dei c. 9. & Pl. 30. 16. *In manibus tuis sortes meae, id est, fortuna mea.* Et Proverb. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Quasi dicat; Non fortuito quicquam accidit, sed omnia fiunt provido Dei consilio, & judicio. Certè cum Deus ipse fortuna fortunans sit, sibi Rotam, cui insisteret, quaque dispensaret caelestia dona, consulto elegit, Genitricem nempe suam, quam usque adeo fortunatissimam effecit, ut fortunae (cujus symbolum rota est) nomen indiderit. Fortuna Maria est, & prosperae fortunae rota, à qua non infausta, sed fausta quaeque perpetuo ad homines devolvuntur. Non caeca fortuna est, quae impiis felicitatem, piis vero infelicitatem afflet: alumnis suis prosperam felicitatem & felicem fortunam copiosè influit multocula Virgo, ut eam appellat S. Epiph. ser. de ejus laudibus. Non caeca, sed oculata, illius munera sunt; nisi pie caeca appellites, quia vel indignis dare solet: nemo enim est tantopere à gratia derelictus, vel gratiae obstinatus, qui à Deipara derelinquatur, nisi ipse dereliquerit spem Marianae tutelae. Non discutit merita (ait Bernardus ser. in Apoc. 12. 1.) *sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebeat, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Rota Maria est, non qua alii deprimantur, subvehantur alii: omnes quotquot ad illam devotè accedunt sublimat ad sanctitatis, ad caeli sublimis fastigium: omnes fortunatissimi sunt; ad caelos facta est fors, via, porta, Rota, aiebat supra Venant. Fortun. ubi sortem pro fortuna accipit, ut solet accipi sapè. Lucanus lib. 2. Pharsal. *Sortis incerta vagatur, ser: que referturque vices.* Et Virgil. Eclog. 9. *Sortis omnia versat.*

Pl. 30. 16. Prov. 16. 33.

Maria fortuna, non caeca, sed multocula, S. Epiph. Quodammodo caeca dici potest.

S. Bernard.

Venant. Lucanus.

Proverb. 8.

75 Eapropter apud Salomonem Proverb. 8. ubique tam in locis excelsis, quam humilibus; tam in viis & triviis, quam in portis & foris sic clamans inducitur Virgo Mater: *Mecum est consilium, & equitas.* Hebraicè pro aequitas, extat vox *tuscia* id est, *securitas, tutela, incolumitas, constantia, & quidquid stabile est, ac solidum: nec non cogitatio, salus, sapientia: & quod singulare est, fortuna successus.* Quasi dicat: Non illa profana fortuna sum, quam Gentiles finxere caecam, insipientem, inconstantem, vanam, vagam, rapidam, levem, mendacem, fallacem,

in qua nulla est suavis secunda fortuna sum, firma, stabilis, constans, tutelar, omnia cum aequitate, sapientia & prudentia dispensans. In me omnis incolumitas, & vera salus, opulenta gratiae, & gloriae gazae, quibus clientes meos eximè felicitò & fortunò. Appellatur Virgo à S. Ambrosio in Pl. 21. ad finem, *Manna. Ipsam Mariam Manna dixerim.* Expende quod de Manna dicitur Exod. 16. 31. & Num. 11. 7. *Erat quasi semen coriandri.* Hebraicè est *Gad*, id est, fortuna, ut claret ex Isai. 65. 11. *qui ponitis fortunamensam: ubi pro fortuna est Gad: id est, fortuna non adversa, sed prospera, ut patet ex Genes. 49. 19. Gad feliciter praelibabitur.* Et fortuna quidem non profana & caeca, sed oculata. Nam eo Num. capite v. 9. dicitur *Man simile bdellio;* Hebraicè *oculo* quasi oculatum esset. Igitur ipsam Mariam Manna dixerimus, id est, secundam fortunam, non caecam, sed oculatissimam: quae omnium oculos, omnium studia, omnium corda ad se rapiat: quae nobis oculatissima sit, id est, charissima; oculitè amanda, in oculis gestanda, semper & ubique invocanda, nominanda, cogitanda, Huic omnia expensa, omnia ferantur accepta: quod de profana fortunam Plinius dicebat, O Maria! *o Fortuna fortunans! o fortunae rota secundae! Merito in te respiciant oculi totius creaturae, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit: clamabat Bernardus ser. S. Bernard. 2. de Pentecost.*

76 Adhuc intra maternum alvum gestabatur Baptista Joannes miserè dejectus peccati originalis infortunio, cum ecce tibi Maria vix incorporato Verbo gravida praeproperè ad montana festinat, Joannem invisit, & salutatur; Joannes verò ad Dei Matrem vertit se, & oculos intendit, resalutat, veneratur; repletur gratiâ, gaudio, sapienti & prophetico spiritu. Sic gratiae thesauros apud illum deposuit Deipara Virgo. ut loquitur Antipater Bostrensis Praesul orat. de S. Baptist. Sic Joannes autè pervenit ad caelum, quam tangeret terram: antè accepit divinum spiritum, quam humanum; antè suscepit divina munera, quam humana corporis membra; antè cepit vivere Deo, quam sibi; ut aiebat Chrysol. ser. 91. O praematurè felix fortunatissimèque Puerule! Quid hoc? Brevi dicam, cum S. Anastasio Sinaita. lib. 3. *Versatus est Christus cum proprio orbe, nempe Matre.* Christi rotam Mariam vocat; Christi, inquam, qui prospera fortuna est homines fortunans. Ubi in Nazareth conceptus, rotam invenit, quam praefert ipsum Nazareth nomen; significat enim juxta vulgarem etymologiam, orbem, rotam, Matrem quidem Virginem nactus est, ut volubilem orbem, ut voluptabilem secundae fortunae rotam, qua ocyssimè versatus ad montana pervenit. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Quid mirum? Joannes adhuc in utero Matris clausus adeo fuerit fortunatus & quasi ad caelum evectus, quin attingeret terram; si praefert oculis habebat ipsam prosperam fortunam, ipsam secundae fortunae rotam, Christum nempe cum Matre sua, per quam ille ad eum omnem felicitatem devolvebat? Sic suos clientes fortunat Deipara, qui eam in oculis, & corde habent: sic nos fortunatissimi erimus, si in illam omnes nostras cogitationes, & studia contendamus.

Luc. 1.

§. X.

§. X.

Textus ipse, argumentum, distinctioque totius Capitis 24. & singulorum versuum concatenatio, acologia, aptaque series breviter, ac dilucidè proponuntur.

77 Certè, postquam ad hujus capitis fedulam commentationem me contuli, facile mihi persuasi, eximiam esse ejus dignitatem, & majestatem supremam; altam, divinissimamque illius materiam, & argumentum; quemadmodum vel simplex ipse facer Textus haud obscurè ostendit, & clarebit nostris legenti commentarios. Quod verò ad ordinem, concatenationem, sive *anorthi* av spectat, & singularum partium inter se cohaerentium; quis illam Spiritui sancto neget praecipuo hujus operis Auctori? Confusi ingenii prophanus haberetur Scriptor, qui sine ordine, sine filo, sine dispositione loqueretur. In humano corpore non modò quæritur singularum dignitas membrorum; sed omnium inter se apta compositio. In musica non solum singularum vocum suavitatis commendatur, sed numerorum inter se omnium concentus. Et in hoc capite non modò singulae res inventae dignitatem praefert se ferunt, sed etiam omnium copula, & nexus singularem praefertur majestatem Deo ipso perquam dignam. Hoc autem ostendere, non facile negotium est, cum à nemine, quem sciam, haecenus fuerit expeditum. Illud tamen expedire nitior atque contendo: si modò id contingat, studiosis fore non ingratum spero. Ut verò praefert compendiosè habeatur quidquid longioribus commentariis explanatur sumus, hunc praemitto Paragraphum.

78 Pars capitis 24. prima, quae est totius concionis Prologus, exordium, sive epigraphè.

V. 1. *Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui glorietur.*

V. 2. *Et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum & in conspectu Virtutis illius glorietur.*

V. 3. *Et in medio populi exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur.*

V. 4. *Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens:*

Exordium.

Hi quatuor Versiculi agunt totius capitis, imò totius libri prologum, exordium sive inscriptionem, quae animum auditorum idoneè comparat ad reliquam dictionem. Quatuor potissimum hic attingit Siracides Jesus. Primum, hanc esse de genere laudatorio orationem, qua & Jesus, & Jesupara (qui sapientiae, vel sapientiarum nomine indignantur) se ipsos commendant, suaque magnalia: atque idcirco eos, quasi è suggesto dicentes inducit. Secundum, quibus coram perillustri hac habita sit concio; nempe coram Triade sacratissima. Tertium, quibus adstantibus, & stipantibus; videlicet Angelorum millibus. Quartum, subsecutorum meminit ab auscultante multitudine plausuum, admirationis & acclamationis.

79 Pars Capitis secunda à v. 5. ad 10. ea continens, quae maximè supremam Christi ac Deiparae dignitatem commendant.

V. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

80 Suas jam exordiuntur laudes Jesus & Maria ex ortu depromptas praeclearissimo. Porro ipse tum aeternae generationis, qua à Patre procedit, tum etiam temporariae, qua à Matre Virgine est, opportunè meminit. Maria verò iidemmet verbis, & de aeterna in Dei genitricem sanctissimam ante omnem creaturam electione, & de sua in tempore purissima Conceptione satis commode agit. Atque hoc pacto rectus servatur commendationis ordo, quae solet frequenter sumi ab ortu in primis nobilissimo.

80 V. 6. *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram.*

Ex natalitibus adeo illustribus, & luminosis, quae non splendeant mirae pulchritudinis lumina? Divinum è Paterno ore primum Verbum, sive vox clarissima, cur non sese in primae Lucis, imò & rerum omnium conditione, subaudiendum dabit prospectandumque? Igitur suas insequuntur laudes Jesus & Deipara. Ille gloriatur, se indeficientis luminis, procul tenebris amandatis, exitisse creatorem: quasi praeluderet fulgentiora gratiae & gloriae lumina, fugatâ peccatorum caligine. Maria item eodem tenore verborum, & ad primam lucem totiusque universi conditionem se nemi opere juvasse autumat; & quod plus est, verè Lucis Jesu, omnem hominem illuminantis, unicam fuisse Genitricem atque adeo totius gratiae & gloriae.

81 V. 7. *Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.*

Post natales nobilissimos, post primam rerum omnium fabricam à luce auspiciatam, Regia planè in Jesu, atque ejus Matre Deipara coepit praenosci, & adorari Majestas. Unde illi suum hic supremum commendant imperium: primò ab altissimo habitaculo, deinde à throno magnificentissimo. Utrumque habent in caelis, vel à mundi exordio, utrumque olim in veteri Synagoga, & nunc in Christiana Ecclesia praefertim.

82 V. 8. *Gyrum caeli circumivi sola, & profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti.*

Qui Regia pollent Majestate, immensi quodammodo sint, omnia implentes, & ubique agentes, necessum est. Suam ergo hic immensitatem infinitam opportunè dilaudant Jesus, & Maria, sumpto argumento à caelorum circumitione, & ab abyssi penetratione, & ab ambulatione in marinis fluctibus, & statione in omni terra: quippe ad universa haec loca sese diffundit eorum virtus; quasi in omnibus spatiis, & rebus omnibus adsint. Caeterum sub illis metaphoris agi praefertim reor de Christi, ac Deiparae praesentia plenè immensa in orthodoxa Ecclesia, quam munificè ditant; ubique tutantur, & quoque versus diffundunt.

83 V. 9. *Et in omni populo, & in omni genere primum habui.*

V. 10. *Et omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi.*

Regia Majestas ex ortu praeclearissimo, ac rerum omnium molitione; immensitasque infinita, quam non jure suo dominationem exposculentur Sum itaque in omnem populum & gentem amplissimum dominatū concelebrant Jesus, & Maria.

Natalitia n obilissima.

Virtus ad creandum.

Majestas Regia.

Immensitas infinita.

Dominatus amplissimus.



Maria, utpote Rex ille, hæc Regina à Deo constituiti. Et quia dominatio hæc omnino est suprema, sua innata virtute conculcasse aiunt, suæque ditioni subiecisse uniuersas tum infimæ, tum supremæ conditionis rationales creaturas. Quod in Ecclesiæ Christianæ gubernatione maximè elucet.

84. Pars capitis tertia à v. 11. ad 23. quæ requiem & hæreditatem à Christo, & Deipara quæsitam, à Deo assignatam, ab illis possessam in populo, inprimis Israëlítico; deinde eo repudiato, in orthodoxa Ecclesia, Hispaniensi signatim, ac Religiosa præfertim: necnon Ecclesiæ dilatationem venustissimè ostendit.

V. 11. Et in his omnibus requiem quæsiui; & in hæreditate Domini morabor.

V. 12. Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.

V. 13. Et dixit mihi: In Jacob inhabitata, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices.

Requies quæsitæ, & assignatæ.

Tamen si, ex versu præcedenti, omnem populum, gentemque omnium sub ditione contineant sua corporatum Verbum, eisque ad eò amplissimum extet illorum regnum, quod uniuersas complectatur Nationes & loca; nihilominus tamen exquirunt modò uterque solliciti novam gloriam, stabile nempe domicilium, diurnam, pacatamque sedem sive peculiarem populum, cui sese maximè insinuent, quem in summis deliciis habeant, quem studiosè suscipiant tuendum, defendendumque. Populus certè hic Israëlítica inprimis gens fuit, quæ hæreditatis nomine venit intelligenda, & quæ à Deo ipso assignatur, & discernitur, præsignatâ interim Christianâ Republicâ? atque ex utroque populo Judaico, & Gentili electis ad gloriam.

85 V. 14. Ab initio, & ante sæcula creata sumi, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

V. 15. Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.

Requies & hæreditas possessa.

Datur Christo, ac Deiparæ ab æterno singulariter præordinatis, & usque in omnia sæcula duraturis tranquillæ hæreditatis possessio. Primò in Tabernaculo foederis, quod Moyses divinitus afflatus erexit præfaga quadam futurorum mente. Deinde in Templo Ierosolymitano per Regem Salomonem magnificè constructo, in typum proculdubio orthodoxæ Ecclesiæ. Utrobique liturgium peragere, sacra ministeria per Levitas & Sacerdotes obijere, & sanctas obtulere victimas, sic Deo ministrantes. Major subinde utriusque in Ierosolymam, & uniuersum Hebræorum populum Regia, & Sacerdotalis potestas, augustioris adhuc futuræ in Republica Christiana potestatis prævia.

86 V. 16. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

Stabile domicilium, requiem perpetuò opu-

lentam libi avidè exquirebant Jesus, & Maria, populum nempe, cui sese maximè insinuantes maxima darent amoris argumenta. Eiusmodi planè reperia minimè est Gens illa Israëlítica. Quid ergo? Inventa demum Christiana Gens, Ecclesia catholica, repudiato Judaismo, in ea (quod felix, faustumque sit) altas agunt radices Christus & Deipara, potissimum in hujus gentis parte illustrissima, Hispaniensi nimirum, quæ & Filii, & Matris gloriae augustè tuendæ, & studiosissimè amplificandæ, vel ab ipsis nascentis Evangelicæ Lucis primordiis, mancipatur gloriosissimè.

Requies perennans in gloria in orthodoxa Ecclesia.

87 V. 17. Quasi Cedrus exaltata sum in libano, & quasi Cypressus in monte Sion.

V. 18. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rose in Jericho.

V. 19. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi plantatiuus exaltata sum juxta aquas in plateis.

Post Christi ac Deiparæ requiem & habitationem gloriosam in uniuersali Ecclesia, Hispaniensi signatim, recto planè narrationis ordine, aureoque coherentiæ filo, nunc sermo textitur de requie, & habitatione ac proinde de exaltatione utriusque gloriosissima in Religiosa Ecclesia, sacris nempe Religioforum Familiis, ubi Jesus & Maria utpote in selectiore, sanctiore, & sapientiore Ecclesiæ parte, omnigenâ gloriâ, juxta multiplex Religiosæ vitæ institutum, perfruuntur toto terrarum orbe conspicui. Quæ omnia sub præstantissimarum arborum, plantarum, montium, & locorum symbolo scitè admodum demonstrantur.

Exaltatio in Religiosis Familiis.

88 V. 20. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, & quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

V. 21. Et quasi storax, & galbanus, & unguis & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam; & quasi balsamum non mixtum odor meus.

Ex diversimoda Christi, ac Deiparæ gloriosa exaltatione in uniuersali, ac Religiosa Ecclesia; eorumdem fati consequenter inferitur boni nominis & famæ expansio per totum orbem, mediâ virorum Apostolicorum prædicatione & sanctimoniâ. De hac forma, suavi planè & illustri, sermo nunc extat sub odoratissimorum aromatum metaphora quaquaversus gratissimum spirantium halitum.

Fama longè lateque diffusa.

89 V. 22. Et quasi Terebinthus extendi ramos meos; & rami mei honoris & gratia.

V. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.

Eo jam per omnes mundi plagas longè lateque diffuso Jesu & Mariæ nomine, notitia, & fama ab Evangelii promulgatoribus, fecundissima assurgit Christiana Ecclesia; de cujus gloriosa dilatatione, numerosaque fidelium prole sermo illis teritur versiculis. Primò, sub Terebinthi symbolo suos expandentis ramos honore, & gratiâ conspicuis. Tales sunt fideles, Secundò, sub fertilissimæ vitis metaphora, sua in longum producentis germina, suos huc illuc emittentis palmites, odoratos flores, fructusque honoris, & honestatis. Eiusmodi extant Christi, & Virginis cultores, qui omnem suam gloriam acceptam referre debent Jesu, & Mariæ, à quibus &

Christiana Ecclesia dilatatio.

& destructa idololatria, & nova emerfit copiosa progenies.

90 Pars Capitis quarta à v. 24. ad 32. quæ & Synagogæ, & Ecclesiæ Christianæ cultoribus amplissimum totius gratiæ, & gloriæ thesaurum in Jesu & Maria demonstrat, largè ab illis in omnes affluentem,

V. 24. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & sanctæ spet.

V. 25. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes & virtutis.

Omnis sanctitas à Christo, & Deipara.

Præmonstratâ jam Ecclesiæ amplitudine, ac numerosâ Christianorum sobole, quos ramos suos honoris & gratiæ, & flores fructusque honestatis nominarunt Jesus, & Maria; nunc pergunt demonstrare quodnam sit totius sanctitatis repositorium, vel potius fons & scaturigo, unde gratiæ promanent uniuersæ. Se ipsos demonstrant Christum, & Deipara; à quibus Fides, Spes, Charitas, omnique supernaturalis virtus, unâ cum gratia sanctificante infusa ad piè sanctèque vivendum; nec non æternæ beatitudinis gaudia in nos copiosè derivantur.

91 V. 26. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

V. 27. Spiritus enim meus super mel dulcis; & hæreditas mea super mel & favum.

Ardens Iesu & Mariæ ad gratiam & gloriam invitatio.

Propositis jam gratiæ sanctificantis, omniumque virtutum divitiis, pæfatto perenni totius sanctimonie & gloriæ thesauro, unde habendæ illæ sint, sequitur magnifica invitatio ex ardentissimo Christi & Deiparæ studio, quo omnium exoptant salutem, & incolumitatem. Et quidem gratiam & gloriam concupiscenibus, ut magis magisque concupiscant, eas sub rei, rerum omnium dulcissimæ, mellis nempe, ac favi symbolo, proponit: quam dulcedinem longè evincat ipsa gratiæ & gloriæ suavitas, cælestis planè ac divina.

92 V. 28. Memoria mea in generationes sæculorum.

Intuitu memoriorum Iesu, & Mariæ collocata gratia.

Ut probent adhuc Jesus, & Maria, se totius esse gratiæ thesaurum, fontem, & scaturiginem; statuunt, nullum ex piorum hominum coetu, vel à mundi nascentis primordiis in elapsis sæculis extitisse, atque in elabentis exiturum, qui omnia gratiæ dona ab illis non acceperit intuitu meritorum ipsorum, anticipatâ, ut aiunt, solutione. Quasi Christi ac Deiparæ ipsa dumtaxat memoria ad id satis fuerit; non enim nisi in Christi, & quodammodo in Mariæ fide ulli concessa unquam est animæ salus, salutisque incrementum.

93 V. 29. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.

Gratia donans absque fastidio.

Statuerunt Jesus, & Jesupara, se, suaque cælestia dona longè esse melle, mellitoque favo dulciora; id suadeant, degustandus favius ipse cum melle porrigitur; sic enim ab effectu facile constabit de gratiæ & gloriæ dulcedine supra omnes alias dulcissimarum rerum suavitates: quippe hæ multum comedentes tædio multo afficere solent, fastidio & nausea, nec planè exsaturant. Ast gratiæ & gloriæ cibus, potiusque etiâ plenè, ac verissimè

luculent, sui tamen desiderium, & esuriam, dum magis magisque degustantur, magis inagisque accendunt, quò plus gustantur, eò plus appetuntur,

94 V. 30. Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt.

V. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Gratia cultoribus æterna merces promittitur.

Nimio opere suadent Jesus & Deipara gratiæ studiosis, gratiæ & gloriæ præconia proximè data nequaquam esse frustrationi obnoxia; quin potius is, qui inspirant gratiæ, monitumque divinis obsequuntur, vitamque suam juxta rectè rationis normam insinuant, atque adeò dictis, factisque, verbo, & exemplo eximiam Christi & Mariæ maiestatem & sanctimoniam defendendo alucidant, & elucidando defendant, certò æterna promittitur Beatitudo.

95 V. 32. Hæc omnia liber vita, & Testamentum Altissimi, agnitio veritatis.

Etiâ Incarnata Sapiencia, & suo quoque modo Mater illius Deipara, divina polleant, ac proinde suprema auctoritate, quâ nulla major; adhuc tamen hæc dicta toto concionis decursu, roborare contendunt sacrarum litterarum testimonio, ubi constat de ipsa veritate plenissimè, & ubi ea omnia continentur dilucidè, quæ ad Jesum & Mariam spectant, & quæ ab hominibus Deus necessariò exquirat, ac illis certò promittit, estque adimpleturus fideliter.

Prædictorum roboratio ex scripturâ.

96 V. 33. Legem mandavit Moyses in præceptis iustitiarum, & hæreditatem domui Jacob, & Israël promissiones.

Legis antiquæ commendatio.

Ex occasione veteris Testamenti memorati, nunc factis consequenter legem Mosaicam commendat, ipsumque sanctissimum legislatorem Moysen, ut qui ad Dei nium præcepta tulerit iustissima, quæ sint Jacobo populo in hæreditatem; & scripta reliquerit, in quibus multæ promissiones, maximè de Christi adventu, ac generis humani redemptione continentur.

97. Pars Capitis quinta à v. 34. usque ad 47. quæ legislatoris Jesu, & Mariæ, novæque legis continet præconia; nec non totius sapientiæ Christianæ, & Evangelicæ doctrinæ laudes, augmentum; progressus, & perennitatem.

V. 34. Posuit David puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.

De legislatore Iesu vaticinium.

Cum de illis promissionibus sermo fuisset quas Mosaica continent sacra volumina; & ex promissionibus ea sit princeps, quæ Rex Messias promittitur; recto sanè coherentiæ ordine de eius agitur adventu exoptatissimo. Vel, quod aliis arrideat magis, cum de veteri legislatore Moysè, legeque per ipsum lata, concinnè satis nunc agit de præcipuo supremoque novæ legis auctore, & sanctore Christo Domino; de cujus regio, supremoque principatu sermo textitur; quippe ad supremum, æternumque Principem spectabat supremum, id est, præstantissimam, æternam, id est, nunquam abrogandam, legem ferre. Unde constat quantum legislator Jesus legis-

De legislatore Iesu vaticinium.